

trahentis pondus, sensim deficimus: ideoque quotidie novis propositis indigemus, quibus animum attollamus et ad virtutem erigamus. Sane D. Bonaventura monet, ut quoties horologium sonat, toties renovemus propositum serviendi Deo. Leo, ut refert Bart. Anglicus, iratus terram cauda verberat; placatus proprium tergum, quasi castigando in se iram. Faciendum monuit etiam David, Psalm. IV. *Irascimini et nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, q. d. cum surgunt pravi et rebelles motus in vobis, irascimini naturæ vestræ corruptæ (ut exponit Bellar.) et firmiter statuite non peccare. Et siquidem peccastis, statim domi in silentio vos ipsos corrigite et castigate atque ad emendationem erigite.

III. Tertia, delectatio, quæ est in peccatis. Hæc enim semel degustata facile ad se revocat hominem. Omnes corporis morbos vitamus; non item animi morbos, quia hi delectant, illi cruciant. Unde Seneca, ep. XCIII. ait: « Quod plebrosque inemendabiles facit: omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, offenduntque errantem, vitæ peccata delectant, etc. » Senserunt hoc Hebræi in itinere per desertum, qui postquam in Ægypto vicitantur piscibus, peponibus et cucumeribus; assueti duleibus his et selectis cibis, regredi in Ægyptum voluerunt: *Recordamur piscium, inquit, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, etc.* Num XI. In quem locum scribit Oleast. « Maximum malum est hominem noxia dulcia fuisse aliquando expertum. In hoc enim penitentes maxime laborant ut vitiorum præcedentem ex se memoriam expellant. Hoc enim malum vitia habent, quod recordatione lædant, cui non possunt sua præsentia nocere. Quare elaborandum est tibi, vir Dei, ut si fieri possit, talia non experiaris, ne contingat post reditum ad mentem meliorem cum his larvatis hostibus dimicare. » Sed quid si ea dulcedo jam degustata fuit? Custos apponendus, timor Domini, mortis et iudicii, quemadmodum ad excludendos e gustatis paradisi deliciis, protoplastos, flammeus gladius ante paradisum positus fuit: *Timor enim Domini expellit peccatum*, ait Eccl. c. I. Vigilet autem hic custos, nam custodes sepulcri dormientes perdidit Christum; et ostiaria obdormiens necem attulit domino suo Isoseth, II. Reg. IV.) revocetque in memoriam primo, mortem ejusque propinquitatem, *quoniam advesperavit et inclinata est jam ad mortem vita nostra*. Cogitet iudicium iudicisque romphæam bis acutam. Descendat mente ad infernum et ardores sempiternos. Hoc antidoto usus Deus est ad avertendos

ab amatoribus, id est, idolis suis Hebræos, qui crebro ad eos deflectebant: *Sepiam viam tuam spinis, inquit, et sepiam eam maceria et semitas suas non inveniet*, Ose. II. Quod fecit immittendo eis hostes Phul Teglathphalasar et Salmanasar reges Assyriorum, qui eos undique infestarent et obsiderent, ne relabi ad idola possent. Hujusmodi spinæ sunt mors, iudicium, infernus, seria meditatione expensa, præterea damna et pernicios peccati delectationem sequens, uti morbi et capitis dolores sequentes ebrietatem, gallica lues sequens venerem, paupertas sequens aleam, infernus sequens peccatores omnes.

IV. Quarta, defectus exercitii bonorum operum et aliarum honestarum actionum. Hæc enim de causa spiritus ille nequam ab homine expulsus redire machinatur in domum suam, quia invenit eam vacantem, ut Matth. c. XII. scribit, hoc est, otiantem et feriantem. Vocatur domus cum nemo eam inhabitat, et tunc citius perditur et collabitur. Vel cum omnes in ea otiantur et dormiunt; ita cum homo conversus otio se dedit, patentes dæmoni fenestras præbet. Christus etiam in hodierno evangelio, ubi discipuli cessarunt de piis rebus loqui, finxit se longius ire; ut doceret nos, ibi non persistere diu gratiam Dei, ubi cessant bona opera. Quid igitur remedii? Exerceat se homo in operibus bonis aliisque honestis actionibus. Paralyticus opus habet ut paulatim sese moveat, quo membra ejus exerceantur, atque ita sensum et motum recuperet; ita qui ægritudine peccati liberatus est, bonis actionibus et operibus piis se exerceat, frequenter sacramenta recipiat, verbum Dei sedulus audiat, studio litterarum aliove honeste sese occupet, confabuletur de rebus piis cum discipulis hodiernis, maxime de vita et passione Domini, cogitet semper Deum ubique præsentem et omnia spectantem, legat pios libros indeque sibi vitiorum antiphar-maca seligat, etc. Hoc opinor, docere voluit Dominus, cum paralytico sanato ad piscinam dixit: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula*, Joan. V. Et alteri sanato in domo: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam*, Matth. IX. q. d. ito de virtute in virtutem, donec venias in domum tuam et videas Deum deorum in Sion, Psalm. LXXXIII. Ideo enim sanatur æger, non ut otietur, sed ut ambulet et operetur. Quod docet S. August. ep. CVIII. « Sicut, inquit, a vulnere claudicans ideo curatur ut sanato malo præterito futurus dirigatur ingressus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint: sed ut de cætero recte ambulare possimus. »

V. Quinta, consuetudo. Hæc enim quasi gib-

bus vel onus quoddam est, perpetuo deprimens hominem tametsi is se aliquando erexit. Fluvius est secum abripiens et devolvens natantem, nisi is continuo contra nitatur. Idipsum pulchra similitudine pueri qui aviculam filo ligatam retinet et huc illuc avolare sinit et mox filo retrahit, declarat S. Anselmus, l. de similitudine, c. CLXXXIX. « Instar hujus pueri, inquit, jocatur diabolus cum peccatoribus, quos irretitos suis laqueis pro sua voluntate in diversa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim multi avari, ebriosi, luxuriosi qui proponunt avaritiam, gulam, libidinem deserere et putant instar avis se libere avoluros, sed quia pravo usa irretiti ab hoste retinentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur, fitque hoc sæpius, nec omnimodo liberantur nisi magno conatu et gratia Dei funis rumpatur pravæ consuetudinis. » Sic ille. Experti hoc Hebræi, qui ob diurnam cum Ægyptiis consuetudinem Ægypti non poterant oblivisci, sed perpetuo eum respectabant, uti et uxor Loth Sodomam. Frustra porcum delicato cibo nutries et in lecto eburneo repones; quia olfactis sordibus illico se in eas immerget utpote earum assuetus. Idem ab homine expecta vitii assuetus.

Quid igitur? Nullumne hic malo remedium? Sane cum Dei gratia resisti etiam pravæ consuetudini potest. Itaque primo sedulo orandus Deus, verbis August. *Domine, da quod jubes, et jube quod vis*. Testatur enim ipse, I. IX. conf. c. I. se ad extremum Dei gratia rupisse ferreum inveteratæ consuetudinis vinculum. Orandum crebro cum discipulis hodie: *Mane nobiscum, Domine*. Cogetur quodammodo hoc pacto Deus nobiscum remanere, si instanter pulsemus aures ejus. Deinde contrariarum virtutum actus vitii opponendi, gula jejuniis, avaritia eleemosynis, libido et turpis amor fuga, cilicio, flagello edomandus, etc. Denique frequens sacramentorum confessionis et communionis usus adhibendus. Si potuit Mithridates rex quotidie venenum bibere præsumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret, quemadmodum scribit Plin. lib. XXV. c. II. secur fieri non queat ut homo assiduo sacramentorum, eucharistiæ præsertim, usu in alium et immortalem quasi virum mute-tur, exuatque veterem hominem veneno peccati infectum, et induat novum qui secundum Deum creatus est? Certe in fractione panis (eucharistici, ut multi patres existimant) aperti sunt oculi discipulorum et cognoverunt Christum. Spes est igitur cæcitate animi et languorem pravæ consuetudinis abstergeri posse tam potenti phar-naco, quale est eucharistia.

Ergo, auditores, attendamus ad caniculos

II. PARS HIEMALIS.

istos, ne in foveam relabamur e qua erepti sumus. Non declinemus, ne appropinquemus illi castello, in quo populus habitat a facie Dei abjectus: ne a nobis Christus longius recedat deserendo nos, etc.

CONCIO II.

CAUSÆ CUR E COMMUNIONE MULTI NON PROFICIENT.

I. Defectus intentionis. — II. Defectus dispositionis. — III. Defectus devotionis in sumptione. — IV. Defectus collectionis post communionem.

THEMA.

Aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum. Luc. ult.

Si vera est ea sententia (quæ multorum est,) qua asseritur Christum Dominum dedisse duobus discipulis in hodierno evangelio s. eucharistiam, adeoque fractionem panis denotare participationem corporis Domini, tunc profecto cernimus quam dispar sit effectus s. communionis ab illo, quem primis nostris parentibus attulit esus pomi vetiti. Illi enim ubi comederent, cognoverunt se esse nudos, erubuerunt et absconderunt se: isti vero discipuli ubi comederunt, cognoverunt Christum Dominum suum, gaudio impleti sunt, eoque perurgente recurrerunt ad discipulos suos. Itaque pomum illud docuit scire malum, panis eucharisticus docuit scire bonum; illud arbor mortis, hic vero arbor vitæ fuit. Sed quid est, auditores, quod hæc arbor vitæ, quam toties aliqui gustant, similes effectus in iis non producat? Cur multorum oculi in s. communionem minime aperiuntur ut agnoscant Dominum suum et toto corde ferantur in amorem ejus; ut impleantur gratia et gaudio Spiritus sancti? etc. Audiamus causas.

Aggæus, c. I. quasi digito nobis ostendit causas et radices illius sterilitatis, quam multi experiuntur in s. communionem. Ait enim: *Seminastis multum et intulistis parum; comedistis et non estis satiati; bibistis et non estis inebriati, operuistis vos et non estis calefacti*. Demum omnes quasi simul complectens. addit: *Et qui mercedem congregavit, misit eas in sacculum pertusum*.

I. Causa prima, defectus intentionis debite. Multi enim accedunt ad s. communionem pro forma, ut vulgo loquimur, sive ex consuetudine præcise, quia ita solent, sive ob præceptum Ecclesiæ, sive quia cæteros quoque vident accedere, non emansuri sine nota, aliqui etiam intentione mala, ut videantur, etc. Hinc fit quod Aggæus dixit, ut seminant multum et inferant

parum, quia ad instar illius seminantis evangelici seminant ubi non debent, in viam, petram, vel spinas. In viam qui intentione placendi aliis et aucupandi existimationem, ideoque conculcantur ab hominibus et dæmonibus; in petram, qui ex consuetudine; in spinas, qui metu alicujus pœnæ vel pudoris, etc. Quare sicut milites qui ad præliandi artem exercentur, incassum armis concurrunt, incassum sclopetis jaculantur, quia non in hostem, sed in aerem vel in terram solum dirigunt jactum: pari ratione nihil efficiunt, qui absque debita intentione ad communionem veniunt; non enim ad rem seriam et victoriam parandam se accingunt, sed quasi ad certamen ludicrum. Manna illud talem unicuique saporem exhibebat, qualem quisque desiderabat, ut qui carnes optabat, carnem se edere crederet, non pisces; qui pisces optabat, pisces edere, non carnem, etc. ut habetur Sap. XVI. Ita etiam eucharistia saporem nobis dabit, quem intendimus et quærimus. Si non quæramus inde proficere, corroborari contra tentationes, Christo uniri, etc. quid mirum, si nihil horum percipimus? Eucharistia lignum vitæ est, Apoc. II. sed iis qui id sumunt cum serio proposito renovandi se ad vitam spiritualem, ne deinceps moriantur in peccato et a Christo separentur. Quare si fructum a communionem volumus percipere, prius cogitemus, quid et quorsum communicare velimus. Qui in agro serere vult, prius terram vertit, spinas excindit et quorsum serere velit cogitat: sic faciendum nobis. Unde Jer. IV. dicitur: *Novate vobis novale* (id est prius terram proscindite antequam in eam semen jaciatis) *et nolite serere super spinas*. Exterminate intentiones malas et seligite intentionem bonam, renovandi spiritum, uniendi vos cum Christo, placandi Deum, armandi vos contra peccata, etc.

II. Secunda, defectus dispositionis, duplici ex radice, vel quia conscientia non est sufficienter expurgata a peccatis; vel quia palatus est infectus terrenis affectionibus erga creaturas, nondum extinctis. Et hinc Aggæus dixit: *Comedistis et non estis satiati*, id est, sine fructu. Si stomachus destructus sit vel palatus, non prodest nec sapit cibus: stomachus animæ destructus est, cum conscientia a noxiis peccatorum humoribus non est expurgata; et tunc inutilis imo noxia fit communicanti s. communio, (si in peccato mortali sit) et quod ore polluto sumitur, fit pollutum suo modo, quia polluit hominem. Ita enim testatur Dominus Malach. I. cum sacerdotibus malis: *Offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis: In quo polluimus te?* Panis ergo eucharisticus fit pollutus in ore polluto, ac proinde

noxius, sicut cibus in stomacho destructo hominem gravat vertiturque in putredinem et humores noxios. Audi S. Hieron. in eum locum: *Polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigne accedimus ad altare et sordidi mundum sanguinem bibimus*. Exodi XVI. legimus manna Hebræorum fuisse quasi *semen coriandri* habentem gustum similem cum melle. Narrat autem Berchorius, l. XII. reduct. mor. c. XXVII. coriandrum canibus venenum esse ac mortiferum, cum tamen hominibus conducat. Tale est ergo manna eucharistiæ, ad instar coriandri videlicet vitam affert hominibus, id est, recte et rationaliter utentibus; mortem vero canibus, id est, malis et immundis indigne sumentibus. Propterea etiam Ps. LXXVII. manna vocatur *panis angelorum*; Hebr. *panis abbirim*, id est, fortium, quia videlicet eucharistia non est cibus languentium in peccatis, sed fortiorum et eorum, qui a peccati languore immunes sunt. Jam vero quoniam multi obiter tantum et abruptum confitentur de peccatis, ac sæpe absque dolore et proposito emendationis, proinde non abluunt prius sordes suas, quid mirum si fructu careant? Sed et veniales illæ culpæ, quæ advertuntur ac studiose admittuntur, fructum s. communionis impediunt. Si enim nos hujusmodi peccatis irascimur et delinquentibus negamus beneficia vel dona gratuita: si pater filium tali modo peccantem torve intuetur et privat, verbi gratia, aliquo ferculo, veste, etc. cur id non facit Deus? Palatum animæ inficiunt amor proprius, delectationes peccatorum, dimissorum illecebræ et memoria repetendorum, affectus terreni et delectationes carnales, quibus homo prius occupatus fuit, et adhuc sub communionem imbutus est; quo modo Hebræis in deserto insipidum fuit manna, quamvis alioqui gratissimum et omnium saporum, quia adhuc ex illorum ore redolebant pisces, carnes, cæpe, allia, pepones, Num. XI. Si quis igitur carni et terræ addictus, terrena tantum sapit et carnalia cogitat et tractat: quomodo ejus faucibus sapiet manna cælicum? Et si non sapit, quomodo nutrit? Si non nutrit, quomodo saturabit? *Bene non saturari dicitur*, ait S. Greg. hom. X. in Ezech. *qui aliud mandit et aliud esurit*. Comedis sacramentum, quod non esuris; esuris autem res terrenas et inanes, quas non comedis. Obstrictus est amoribus aliis inanium creaturarum, et quomodo ab his te abtrahes et unies creatori?

III. Tertia, defectus devotionis in ipsa sump-tione. Consistit autem ea devotio in studio placendi Deo, et in contemplatione, qua cibus eucharisticus a communibus cibis dijudicatur, et

pro dignitate sua æstimatur et suscipitur cum debitis obsequiis, humilitatis, reverentiæ, appetentiæ, charitatis, etc. Hinc Aggæus subdit: *Bibistis et non estis inebriati*. Eucharistia calix Domini inebrians est, Psalm. XXII. quia in homines aliter mutat. « Bibentes inebriat, ait S. Cyprianus, l. II. ep. III. ad Cæcilium, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sopore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat, et quemadmodum vino isto communi mens solvitur et anima relaxatur et tristitia omnis exponitur, ita et potato sanguine Domini et poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis et fiat oblivio conversationis pristinae sæcularis, et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis aurentibus premebatur, divina indulgentiæ lætitiâ resolvatur. » Hæc Cypr. Sed cur ad istum modum plerique non inebriantur? Quia bibunt eucharistiam seu sumunt eam instar lactis, quemadmodum infantes. Per modum cibi sumi debet, non per modum potus; cibus enim in ore præmanditur, potus statim sorbetur. Qui cibum non præmansum deglutit, parum, aut nihil gustus percipit. Mandi ergo et subigi debet s. eucharistia, non dentibus corporeis (hoc enim non deceret) sed spiritualibus, qui nil aliud sunt, quam attentata consideratio summi doni ac beneficii, quod tunc percipimus. Hinc enim parvulis non exhibetur ante annos discretionis, quia non possunt concipere devotionem ad hoc sacramentum requisitam, ut docet D. Thomas, III. p. q. LXXX. art. IX. ad III. adeoque tunc absque fructu et debita dispositione communicarent. S. August. l. VII. conf. cap. X. ex ore Domini, ait: « Cibus sum grandium, cresce et manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. » Parvuli si hunc cibum sumerent, converterent illum in se, sicut cibos alios, non converterent in se illum. Non ergo sicut infantes sumamus eucharistiam, qui eam discernere nesciunt; sed sicut adulti rite expendendo illam: ita proficiemus et in Christum sensim mutabimur, exuendo veterem hominem et novum induendo. Vultu exempla talium adulterorum? S. Casias Narniensis urbis episcopus, quotidie celebrare solitus, cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat; ut scribit S. Greg. ei cœvus, ho. XXXVII. in ev. Legimus in chronic. Cisterciens. monachum quemdam quoties s. synaxin sumebat, toties sibi visum favum mellis sumere, cujus suavitas illi in ore triduum ipsum perdurabat. S. Franciscus, inquit S. Bonaventura in ejus vita, c. IX.

flagrabat erga sacramentum Domini corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permixtissime illam charissimam dignationem et dignissimam charitatem. Sæpe communicabat et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati agni degustationem suavam quasi spiritu ebrius, in mentis plurimum rapiebatur excessum. S. Maria Aegyptiaca vadens ad eremum sumpsit s. synaxin, ac deinde in eremo sine cibo vixit plurimos annos: moritura vero eandem instar viatici accipiens, extensis in cælum manibus, ingemiscens cum lacrymis exclamavit: *Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam secundum verbum tuum in pace, etc.* Et mox sancte placideque obdormivit in Domino, ita refert oculatus testis Zozimus in ejus vita. Idem majore pietatis et amoris sensu fecit S. Magdalena, paulo ante mortem eucharistiam præbente ei S. Maximino.

IV. Quarta, defectus collectionis post communionem; dum non cohibentur sensus sed mox effunduntur ad externa et sæcularia commercia: dum beneficium eucharistiæ perceptæ non ruminatur, nec mens cum Christo unitur. Hoc indicat Aggæus, cum ait: *Operuistis vos et non estis calefacti*. Induimus Christum per sacramenti susceptionem, ait S. Thomas, in ep. ad Rom. cap. XIII. maxime vero per communionem, in qua velut Jacob sub vestibibus Esau fratris primogeniti valde bonis et odoriferis sistimus nos Deo ad impetrandam benedictionem. Verum ut sub veste incalescamus et foveamur necesse est ut eam nobis bene applicemus, alioquin etiam pelles optimæ, si a corpore diffuant, calorem ei non subministrant. Sic faciendum in præsentis negotio. Si calorem spirituales et fructum communionis volumus percipere, non illico post eam effundamus nos ad risum, ludum, cibum, potum, etc. (hæc enim perturbant celestem illum hospitem, nec sinunt requiescere in lecto cordis nostri) sed potius colligamus nos et recte nobis uniamus Christum, vestimentum nostrum, intente in ipsum figendo oculos mentis nostræ, cum ipso colloquendo, ipsum reverendo, amplectendo. Adhibeamus cingulum mortificationis, constringendo per eam vires animæ ac corporis, ut nec a Christo nos avocent. Quid prodest accepisse potionem medicam, si domi te non contineas et calore foveas, sed mox in publicum aerem prodeas? Quid prodest hypocaustum vel balneum caleferi, si mox apertis undique fenestris et januis calor inde exulet? Quid juvat unguentum pretiosum infundere in vas fractum, unde rursum extillet? *Cor futui*, ait Eccl. cap. XXI. *quasi vas confractum, omnem sapientiam non retinebit*. Tale autem est eorum multorum **communicantium**;

qui utinam perpenderent sequentes veritates pii cujusdam viri apud Corn. a Lap. in Zach. cap. IX. « Prima, infirmus, Domine, qui tecum non exhilaratur, valde prope est, ut cadat. Secunda, anima, quæ tecum non exultat, unde poterit exultare? Tertia, qui tecum Domine, non est contentus, quomodo non crepat? Quarta, qui dum te hospitem habet, properat ut domo exeat, facile ostendit se cor habere alibi obstrictum. Quinta, cæ tecum manere tædium est, nescit quod tu sis Deus et totum bonum ejus. Sexta, qui tecum non manet libenter ostendit se phrenesi laborare, cum hujus rei causa natus sit. » Quatuor hi defectus, totidem quasi cordis nostri foramina sunt, per quæ excidit nobis fructus sacre communionis, unde subdidit Aggæus: *Et qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum.* Non est expeditior ratio colligendi spirituales divitias, quam digna et frequens communio. Verum si cornostrum sacculus ejusmodi pertusus sit, frustra colligemus quidquid injecerimus: nimirum si absque recta intentione, absque debita præparatione, absque devotione, absque collectione Christum suscipiamus. Inspiciat ergo unusquisque sacculum cordis sui, et si aliquid ex his foramen deprehendit, resarciat: ne alioquin et sibi noceat et Christo gravem injuriam inferat, cujus utique præstantissima medicina spernitur et vituperatur a Judæis, ethnicis, hæreticis, si eam in nobis viderint tam esse inefficacem et inanem.

Quod si vero quis ab his se immunem vidit, bono animo sit, frustra non communicat, tametsi vel dulcedinem ac pinguedinem spirituales vel etiam notabilem profectum in se non experiatur. Nam quod attinet ad gustum et dulcedinem devotionis, sciendum non esse necessariam, nec de ea valde laborandum, modo culpa nostra non præpediatur. Neque enim est hujus vitæ gustus et dulcedo illa, sed ad futuram reservatur. Sufficit hominem facere quod in se est, ad excitandam devotionem, licet eam non obtineat juxta placitum, sed aridus remaneat; id quod communicanti sæpe est utilius. Habet nihilominus communio suos alios fructus.

Quod vero ad profectum spectat, sciendum hujus sacramenti effectus non minus occultos quam mirabiles esse, ut homo vix eos advertat. Emulatur enim gratia naturam. Unde: « Quemadmodum cibus corporalis hominem conservat augetque cunctis inadvertentibus, ita hoc sacramento anima corroboratur augeturque imperceptibili incremento, » ait S. Laurent. Justin.

Deinde, non solum progredi, sed etiam non regredi et non labi profectus censendus est; si-

cut non minoris fit medicina morbum arcens, quam sanitatem promovens. Quare si vi communionis sentias te multo tempore sine lethali culpa vivere, jam non parum profecisti, qui vitam animæ tamdiu sustentasti. Quod si etiam sæpe communicans, subinde cespitas; cogita quod abstinens toties omnino caderes. Faciamus ergo quod in nobis est et vitemus defectus indicatos, de fructu porro reportando nihil simus solliciti. De S. Cassio ut diximus quotidianum sacrificium offerre solito scribit S. Greg. loco supra citato, quod quadam nocte ejus presbytero per visum Dominus astitit, dicens: *Vade et die episcopo: Age quod agis; operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali apostolorum venies ad me et retribuam tibi mercedem tuam.* Prædictioni respondit effectus, septimo post anno. In natali enim apostolorum postquam missarum solemniam peregrisset, suisque ultimum valedixisset, repente exclamans, dixit: *Hora est, et obiit.* Et quæ putatis, illa hora fuit nisi diei ultima, quæ vocabat operarium ad mercedem accipiendam.

CONCIO III.

UBI ET QUOMODO CHRISTUM DOMINUM VIDERE POSSIMUS.

I. In pauperibus. — II. In sacrificio missæ. — III. In oratione. — IV. In superioribus.

THEMA.

Aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum.
Luc. XXIV.

Exodi XXXIII. cap. desiderans Moyses videre Deum dixit: *Ostende mihi faciem tuam, sed responsum accepit: Est locus apud me et stabis supra petram et ponam te in foramine petreæ et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Neminem esse nostrum puto, qui non vehementer, si fieri posset, Christum videre desideraret et plurimos etiam abituros reor usque in Emmaus et Jerusalem, si adhuc ibidem in terris degeret; sed fieri jam non potest ut Christum videamus: sed neque necessarium, quia scimus Dominum Thomæ dixisse: *Quia vidisti me, Thoma, credi disti: beati qui non viderunt et crediderunt.* Quo nomine gratulandum nobis votius, qui credimus in Christum, quem oculis non vidimus. Sed non caremus tamen omni Christi nostri aspectu; videmus enim eum oculis fidei majore nostro merito, quam si corporeis cerneremus. Videmus eum quasi a tergo, id est, obscure et in aliqua

jeus imagine nobis relicta per foramen petreæ, oculo scilicet fidei. Sed ubinam fides, inquires, ostendit mihi Christum? Audi patienter. Multis quidem in locis Dominus post resurrectionem suam videndum se præbuit discipulis et primis Christianis. Quatuor tamen loca nominatim exprimitur, in quibus se Dominus luculenter præbuit videndum: Emmaus, mare Tiberiadis, mons Galilææ, et Bethania. Unde non incongrue quatuor processiones tempore paschali instituit Ecclesia, unam in festo S. Marci, tres alias in feriis rogationum, quasi velit monere nos ut ad quatuor illa loca supplicando abeamus, ubi Christum videre possimus.

I. Eundum nobis est in Emmaus, si Christum videre volumus. Emmaus populus despectus vel abjectus exponitur et quid significat nobis nisi pauperes, Christi personam representantes, siquidem ipse dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Unde bene in forma peregrini tunc apparuit Dominus: et cum discipuli putarent se ire et loqui cum peregrino, invitare ad hospitium et mensam peregrinum, Christo hæfecerunt. Neque hoc raro deinceps accidit. Inter alia enim exempla multa, S. Martyrius, ut refert S. Greg. hom. XXXIX. in ev. leprosum debilem in via repertum, dum super humeros gestat ad monasterium, in ejus foribus Christum se gestasse videt sibi apparentem et coram se in celos abeuntem ac dicentem: *Martyri, tu non me erubuisti super terram, ego te non erubescam super celos.* S. Catharina Sennensis peregrinum pauperem se induere vestibus sibi detractis existimans, Christum vestiit, qui mox ab ea evanuit et noctu ei apprensus vestem illam in manu ferens, aliam invisibilem promisit quæ omne frigus ab ea arceat, Antonin. III. p. hist. tit. XXIII. Alius item peregrinorum amator et hospes, « Cum quotidie ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios advenit, et ad mensam ductus est. Dumque paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet ejus manibus infundere, conversus urceum accepit: sed repente eum in cujus manibus aquam fundere voluerat, non invenit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. » Ita refert S. Gregor. hom. XXIII. in ev. Sed licet pauperes quos videmus non sint ipse Christus, adhuc tamen Christo damus, quod ipsis propter Christum damus. S. enim Martinus tunicam suam vere pauperi homini dedit, et tamen in ea Christus ei apparuit dicens: Martinus hæc me veste contexit, Serv. Sulp. in vita, c. II. S. Catharina Sennensis pauperie elemosynam pe-

tenti crucem argenteam dedit, vero quidem homini: Christus tamen eidem apparens erucem illam auro et gemmis insignitam ostendit dicens, se in die judicii eam coram tota angelorum et hominum frequentia ostensurum, S. Antonin. ubi supra. Quia enim Christus pauperum patronus, eos nobis commendavit et se nobis obligavit, habiturus se acceptum, quidquid illis daretur, inde pauperes Christi personam verissime representant. Ad hunc enim modum David benefecit posteris Jonathæ propter ipsum, ut sic, quia ipsi gratiam referre, ut interfecto, non poterat, in posteris ejus referret. Unde II. Reg. IX. ait: *Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul ut faciam cum eo misericordiam propter Jonatham.* Moxque Miphiboseth filium Jonathæ claudum adhibuit mensæ suæ. Liberaverat Jonathas de gladio patris sui Davidem et idcirco iram patris in seipsum derivarat; igitur David conabatur ei interfecto hanc saltem referre gratiam. Atqui nonne et nos per Christum ab ira et gladio patris ejus erepti sumus? Nonne ideo Christus Patris iram in se provocavit et pro nobis excepit? Quid igitur putatis, non debemus ipsi? Sed non eget Christus ope nostra, nec possumus ei benefacere: egent tamen membra et posterius ejus pauperes, quos ipse tamquam suos nobis commendatos reliquit, imo fratres suos vocavit, Matth. XXV. quique de domo ejus, id est, paupertatis illius imitatores sunt, et idcirco a tot sæculis præ foribus templorum tamquam alicuius suos excubare voluit. Igitur si Christo tanto benefactori tuo gratiam vis rependere, inquire illius pauperes et dic: Estne aliquis in civitate, pago, etc. de domo Dei ut faciam cum eo misericordiam propter Christum? Sed heu multorum oculi quodammodo tenentur, ne Christum sub pauperibus videant et agnoscant, quia non in propria, sed in persona pauperum eis apparet, quemadmodum et duorum illorum discipulorum oculi tenebantur ne Christum agnoscerent, quia in forma peregrini apparuit; unde fit ut plures eant non in Emmaus, sed ut pauperes prætereant quasi non viderent. Similes illis, quibus maledicet in judicio Dominus, dicens: *Esurivi et non dedistis mihi manducare, etc.* dicent enim illi: *Domine quando te vidimus esurientem?* Sed audient: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis,* Matth. XXV. Cæterum cognoverunt Dominum discipuli in fractione panis tandem, et a Christo pasti sunt, quem ipsi pascere volebant. Ita si ditiores sedulo vacarent operibus misericordiæ, tandem cognoscerent Dominum sub pauperibus latere, quia experientur sibi sua non modo minui, sed etiam augeri, et plus accipere se quam dare.

II. Eundum nobis est ad mare Tiberiadis, nam